



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 6. Principium 6. Delicta morte finiuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Ratio.

Quia ex duobus malis minus est eligendum; atqui haec dubiè incomparabiliter minus est malum tormentorum amissionis bonorum temporalium, quàm malum animæ peccatum, utpote per quod æterna & ineffabilia tormenta incurruntur, & bona æterna amittuntur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Prius mortem per mille tormenta eundam esse, quàm fidem negandam, uti unanimiter docent Theologi, & innumeri Martyres tuo exemplo confirmantur.

Deducitur 2. Susannam Dan. 13. rectè dixisse ad Senes Adulteros: Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.

Deducitur 3. Rectè quoque S. Augustinum s. 232. de ebrietate dixisse: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut diceretur tibi: bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.*

§. VI.

PRINCIPIUM VI.

Delicta morte finiuntur,

Sensus.

Hoc est, quando aliquis ob delictum à se commissum mortem non fuit punitus in foro externo & humano, tum neque post mortem debet ob idem delictum puniri, nisi specialis aliqua ratio aliud suadeat, uti in delicto Hæresis contingit.

Authoritas.

Desumptum est ex ho. final. ff. ad le. Jul. Majest. & ex cap. Quorundam. dist. 23. ubi dicitur Divino iudicio subiecti ab humano sunt exempti. uti P. Gobat tr. 5. cap. 50. n. 25.

Ratio.

Quia, cum Judices terreni non nisi in Subditos potestatem habeant, mortui autem post mortem cessent esse subditi, hoc ipso puniri ob præterita delicta non possunt.

PRAXIS

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui post mortem comperitur, furta aut homicidia in vita commisisse, non debere propterea in patibulo suspendi, aut rotæ implecti, uti communis praxis habet.

Deducitur 2. Eum, qui vivus justam causam dederat suis, aut aliis criminibus, ut capitis pœnam sustineret, non debere mortuum eandem pœnam sustinere, uti communiter sentiunt Doctores.

Deducitur 3. Eum, qui propter certa delicta in vita infamata infamari & haberi meruit, non esse ut secunda morte tractandum juxta eosdem Doctores.

ARTICULUS V.

Principiis generalibus ad virtutes Theologicas pertinentibus.

§. I.

DE FIDEI PRINCIPIIS.

PRINCIPIUM I.

Non debet esse suspecta veritas, quam revelasse summa judicatur veracitas.

Sensus.

Hoc est, quando quis sufficientia habet motiva, ob quæ libenter judicare possit, doctrinam aliquam vel propositionem à Deo esse revelatam, hoc ipso obligatur, ut nullatenus amplius de eo dubium admittat, sed, si quidem assentiri non velit, vel debeat, firmissimum Fidei assensum eliciat.

Authoritas.

Desumptum est tum ex S. Scriptura, ubi Deus passim testatur suam veritatis. ps. 39. Deus verax ad Rom. 3. non mentiri se Tit. 1. & Num. 23. dicitur; tum ex SS. Patrum & Theologorum unanimi consensu.